



2 Dits



QVAESTIO MATHEMATICA
DE
**TERRA
MOBILI AN IMMOBILI**

QVAM
DIVINIS AVSPICIAIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
IN ALMA WITTEBERGENSI

DIE MAII A. R. S. CIO 10 CC LXIII

S V B I I C I E T

P R A E S E S

**M. CHRISTIANVS GOTTLIEB
GILLINGIVS**

ZITTAVIA LVSATVS

R E S P O N D E N T E

BENEDICTO CHRISTIANO BVRDACHIO

KOHLAVIA LVSAT. INFER. PROPE GV BENAM

WITTEBERGAE
TYPIS TZSCHIDRICHIANIS

ADITK
A M I P
P A T H O L Y M A N H O M
D E S C R I P T I O N
M I C H A E L M I C H A E L G E N S I
I I I
G I D E O N I C O U Z
C O R D A C T U O D I V I S C O
T H E O D O R U S

Q V A E S T I O
D E
T E R R A M O B I L I A N I M M O B I L I .

STATVS CAVSSAE.

Duas esse Astronomorum opiniones, quibus stellarum Phaenomena explicare solent, quae etiam nunc obtinent, neminem fugit, qui vel prima astrorum scientiae rudimenta libauit. Altera eorum pars terrae attribuit motum, soli vero et fixis quietem, altera vero contrariam tuerur sententiam. Illius se-
tatores Copernicani, huius vero Tychonici, ab auctoribus appellantur. Sunt quidem plura hypothesum genera, ut ex veteribus Aegyptiorum, Aristotelis, Ptolemaei, ex recentioribus Longomontani, Riccioli, aliorumque, quae tamen commode, quod earum spectat fundamentum, ad duo iam dicta systemata referri possunt. Copernicani quidem nostris temporibus auctoritate et Astronomicae scientiae fama praeualent Tychonicis, et in hac ipsa nostra Leucorea inde a Joachimi Rhaetici aerate, praestantia Copernicani systematis prae caeteris a permultis tradita est, et adhuc traditur publice. Quae sententia hodie tam latos fecit progressus, ut fere vitio verti coeperit, sistema Copernicanum in dubium vocare; vnde quoque H V G E N I V S in Kosmographia p. 14. scribit: *Omnes nunc Astronomi, nisi tardiore sint ingenio, aut hominum imperio obnoxiam credulitatem habeant, motum Telluri, locumque inter planetas, absque dubitatione decernunt.* Attamen cum non desint, qui, summum et omnium rerum auctorem secuti Deum, terrae quietem, solis autem et fixarum cursum propugnant, ideoque quilibet pro sua sententia argumenta partim firma, partim speciosa proferre sunt annisi. Quibus factum est, ut neutra pars alteri huicem cesserit, iuxta illud Poetae, verbis paullo immutatis, Astronomi certant, et adhuc sub iudice lis est. Quae cum ita sint, nobiscum constituimus in praesenti disceptatione in praecepia (reliqua enim, quia paginae non capiunt, in aliud tempus reseruamus,) argumenta inquirere, quibus terrae quies pariter ac solis motus vel stabilitur, vel confutatur.

XX. o XX.

OPT. III. A. V. O.

INSTITVTI RATIO.

Esset quidem nostrum, ut etiam reliqua systematum momenta explicaremus, sed, angustis paginarum limitibus inclusi, prohibemur, quo minus latius progrediamur. Hinc nec, quid sit sistema Copernicanum, quid Tychoicum, nec quae sint eorundem origo, emendationes, fata et incrementa, hic explanabimus, in primis, cum id breui iam iam fecerimus in Diss. de *ortu et progressu systematum mundi praecipuorum*. Hoc tamen hic repetendum videtur, quod unumquodque mundi sistema propositionem quandam, sive hypothesin verisimilem, fundamenti loco ponat, ex qua Phaenomena demonstrare conamur. Ad hanc reliquae hypotheses secundariae, quae primariae inseruire debent, accommodantur. Huiusmodi fundamenti propositio Copernicanis est: *Sol cum fixis quietescit, et terra cum planetis reliquis mouetur*. Tychonicis e contrario, Scripturam S. sequentibus: *Terra quietescit, fixae cum sole mouentur*. Hanc suam sententiam vtrique parti addicti argumentis suffulciunt, quorum nonnulla, quae ad corroborandas has primarias hypotheses spectant, paullo accuratius examinabimus, quae vero ad secundarias pertinent, quo referimus Tychonis circulos spirales sive helices, distantias planetarum a se inuicem cum regula Kepleriana, magnitudinem corporum coelestium, itemque situm et ordinem Planetarum, reliqua, in aliud tempus differimus. In proferendis ceterum argumentis contrariis ingenua fide versabimur, hisque refellendis moderatori scribendi genere vtemur, ne Astronomos, qui meliora suis egregiis inuentis indefessisque studiis sunt meriti, conuiccis proscindamus, quibus tamen nonnulli Copernicorum Tychonicos nonnunquam laceſſere solent, appellantes eos homines imprudentes, ingenii tardioris, stupidos, perplexissimos, et quae id genus sunt alia; sed tantum argumenta trutinando erimus occupati. Scriptis in primis usi sumus sequentibus: Kepleri Astronomia, Newtoni Principiis Philosophia: mathem: Megerlini systemate mundi Copernicano, nec non ipsius Copernici libris et Galilei dialogis; qua alteram vero partem sequuti sumus maxime Tychonem, Ricciolum, Reyherum, aliasque.

§. III.

COPERNICEORVM CAVSSA MOTVS.

Vt sistema suum probent Copernicani, prouocant ad cauſam motus Planetary, quam solem esse statuant, et quidem solis motum vertiginis. Solem moueri circa axem suum, qui dubitat, euoluat modo CHRISTOPHORVM

PHORVM SCHEINERVVM, solis obseruatorem diligentissimum, in *Rosa Vr-*
fina, Bracciani 1630 edita, vbi hic motus per mutationem macularum extra
 omnem controversiam est positus. Hac rotatione solari totum aetherem
 ultra Saturnum circumagi, instar vorticis rapidissimi, et simul Planetas, ob
 formam rotundam ad motum aptissimos, vi quadam magnetica circumue-
 hi, ac mox a sole protrudi, mox retrahi, statuunt, quibus nec refragatur re-
 sistentia aetheris, quippe qui aere nostro millefies millies est tenuior. Vnde
 inferunt Solis gyrationem esse caussam motus Planetarum, quod vel exinde
 constet, quanto scilicet Planeta a sole longius distet, tanto mouetur tardius,
 quanto vero proprius accedat, tanto incedat celerius, ita ut priori casu pro-
 portio periodicorum motuum Planetae, ratione ad alios minus distantes
 habita, sit sesqui altera proportionis distantiarum a sole, posteriori vero
 scipso in proportione dupla moueat celerior. Hinc concludunt, solem
 ut caussam motus primam, in centro vnuersi esse immobilem, terram con-
 tra revolui. At enim vero, (non enim hic attingam, quod modo laudatus
 SCHEINERVVS l.c. Libr: IV. Part. II. c. XI. p. 604. neger, solem ex sua gyra-
 tione alios planetas in circuitum mouere,) si quoque statueremus solem es-
 se caussam motus Planetarum, tamen exinde nondum euincitur, ideo esse
 immobilem. Ventus et aqua sunt caussae motus molarum, nauium, alia-
 rumque rerum plurium, et tamen ipsi mouentur, imo motu suo aliis dant
 motum, eodem modo sol potest moueri, et simul caussa esse motus reliquo-
 rum Planetarum; id enim sibi non repugnare viderur, quod corpus quod-
 dam mobile sit caussa aliarum rerum mouentium, quin imo mouens esse
 debet, si alias res ad mouendum impellere debeat, ut in automatis conspic-
 iamus. Iupiter mouetur circa solem, ex sententia ipsius Copernici, et tamen
 mouuertiginis, iuxta assertionem Copernicanorum, Circumiouiales im-
 pellit, ut periodos suas breui tempore absoluant. En igitur caussam motu-
 sis, quae ipsa est mobilis. Si ergo Iupiter mouet et mouetur, quid ni sol
 moueretur circa terram.

§. IV.

S V B I E C T U M M O T U S .

Aliud pro stabiliendo systemate Copernicano argumentum desumitur a
 Subiecto motu, quod sunt Planetae, quorum numero Philolaici simul ter-
 ram includunt nostram. Ex mente vero Tychonicorum tam Planetae, quam
 stellae fixae Subiectum motus constituant. Res autem naturales ita esse
 comparatas, aiunt Copernicei, ut magnae ad quietem, paruae vero ad mo-
 tum conditae esse videantur; vel saltrem maiores ad tardiore, minores ad
 celerio-


celeriorem. Solem ergo putant colloquendum esse immobilem in medio, tanquam corpus ingens, ad motum minime aptum. Qua vero in re nullo modo Copernicanis, assentii possimus. Experientia enim edocet, scimus quod quidem saepissime, attamen non semper, majora corpora, aut quiescent, aut minoribus tardius moueantur. Sic nos non later, Satellites Iouis et Saturni motu multo celeriori circumagi circa planetas suos primarios, quam hi circa solem. Primus itaque Satellitum Saturni periodum suam absolvit 1 die, 21 hor. 19'. Secundus 2 dieb: 17 hor: 41'. Quintus demum 79 dieb. 23 hor: 4'. cum tamen ipse Saturnus 30 fere annorum spatio indigeat, ad peragendum cursum suum circa solem. Sic quoque Iupiter tardior incedit Marte, et sic porro. Inde tamen nondum sequitur, solem ideo esse immobilem, quia sit maior. Si enim hoc esset, nobis aequa liceret, negare motum Saturni aut Iouis, quoniam in systemate Saturnino aut Iouiano Satellitibus praestent magnitudine, quos tamen vere, non apparenter moueri ipsi concedunt Copernicani. Quod vero majora corpora neque quiescent semper, neque semper tardius moueantur minoribus rursus experientia edocemur. Sic aquila, avis certe magna, multas minores celeritate motus superat. Ovis, quanquam sit minor cervo, attamen gressus celeritate illum assequi non potest. Nec ipsum coelum ab hoc motus genere abhorret. Cassini enim obseruationes nos certiores reddunt, Martem, qui 13 vicibus terra minor habetur, intra spatiū 24 hor: 40 min: circa axem rotari; Iouem e contrario, qui 14 vicibus terra maior est, intra 9 hor: 56 min: motum circa axem absoluere, idem auctor docet, vid. CASSINI *Progris de l'astronomie*, atque exinde nobis concludere licet, leges motus mechanici, quia hoc momentum, non esse omni exceptione maiores, nec ubique valere. Negant porro Copernicei, fixas et solem posse moueri ex ea ratione, quia sunt corpora ignea, quae motus non sint capacia. Quod ut verum esset, nos optaremus, praeferimus hoc belli calamitosissimi tempore, quo globi igniti tormentis explosi, motu nimis accurato urbes nostras concremauerunt. Nec in ipsa Physica destituimur corporibus igneis in aere pendeutibus, quae vera mouentur, qualia sunt cuncta meteora ignea.

§. V.

SIMILITVDO TERRAE CVM PLANETIS.

Verum subiectum motus dum statuunt Copernicani esse terram, provocant ad similitudinem, quae terrae est cum planetis reliquis, partim ratione naturae, partim ratione situs et figurae. Afferunt minime terram nostram reliquis planetis, qua naturam, multis in rebus assimilari, est enim opaca,

opaca, gaudet montibus, continet valles, habet maria, quae circumfluant insulas, repleta est hominibus, aliisque creaturis viuentibus. Haec omnia, ex mente Copernicanorum loquor, reperiuntur in planetis reliquis, ut celeberrimus Astronomus IOH. HEVELIUS in *Selenographia*, de luna hoc demonstrare natus est, et HUGENIVS in *Cosmoteoro* de reliquis planetis idem afferuit, qui quoque Lib. I. p. 16 hoc argumentum, a similitudine terrae cum planeris desumptum pro confirmanda terrae mobilitate maxime vrget. Hinc, pergit Copernicani, eodem modo, quo Planetae, montibus, oceanis ac creaturis replete, volvuntur circa solem, etiam terram nostram circumvolui necessesse esse. Verum enim vero, cum id omne, quod de planeticolis afferitur, nihil aliud sit, nisi problema Physico-Astronomicum, de quo in vtramque partem disceptare licet: nihil exinde probari potest. Si enim non omnimoda adest telluris ac planetarum similitudo, nulla quoque adest necessitas, qua adigeremur, cursum terrae afferere. At nullus Astronomorum dum certo affirmare ausus est, quae de incolis e. gr. lunae circumferuntur, cum nec de eo inter se conueniant Astronomi, vtrum dentur maria in luna et oceanii, alii quidem affirmant, HUGENIVS vero, non ultimus siderum obseruator, id negat in *Kosmographia* Libr. II. p. 14. edit. Hag. Comit. 1699. qui dissensus satis prodit, similitudinem terrae cum planetis, qua naturam, nondum ita esse probatam, vt argumento esse possit pro confirmando telluris motu. vid. Celeb. Wideburgis Erweis, es sei eben so gewiss noch nicht, daß die Planeten uns ähnliche Geschöpfe erschären. Nouam telluris et Planetarum similitudinem a situ repertum Copernicani. Nam terra pendet in aethere, et quidem proprietor soli, quam Saturnus, qui tamen solis motu vertiginis circumvoluatur, hinc putant, terram in aethere collocatam huic rapidissimo vortici non posse resistere, quin ad revolutionem simul rapiat. Evidem non nego, tellurem in aethere esse collocatam, inde tamen enīci non potest, quod ideo statim sit mobilis, alias enim sequeretur, solem quoque et fixas moueri, quod vero Copernicei constanter negant, ratio est manifesta, nam sol et fixae aequae, ac tellus in aethere pendent. Neque id, quod de rapidissimo vortice in medium attulerunt, nos impellit, vt terrae tribuamus motum, nam in automato remotiora mouentur, et tamen axis rotac dentatae est immotus. Quando vero Copernicani obiiciunt, solem esse centrum totius mundi Machinae, ideoque non moueri, petitionem principii committunt, hoc enim ad huc in quaestione est, dum Tychonici terram pro centro habeant. Nec tandem nos mouet, quando COPERNICVS figuram terrae rotundam, motui accommodatissimam vrget, Libr. I. c. VIII. Revolutionum coel. his verbis: *Cur ergo haesitamus adhuc, mobilitatem illi formae*



formae suae (loquitur de terra globosa,) a natura congruentem concedere, magis quam quod totus labatur mundus, cuius finis ignoratur? Sol enim eadem figura gaudet, indeque pari apertitudine mouendi est praeditus.

§. VI.

MAGNITVDO TERRAE COMPARATIVA.

Terram a sole magnitudine superari, manifestissimum est, ita ut Sol Ptolomeo 166; Tychoni 140; Keplero 3375; Ricciolo 38 600; Wenzelino 26 2144 vicibus soliditate terram superare dicatur. Hinc solem quiescentem, terram vero mobilem statuunt Copernicani. Etenim cum Sol, (vt loquitur VARENIVS Geograph. General. l. I. c. V. No. 3. ab Isaac. Newtono auct. et illustr. p. 47.) ad minimum ducentes maior sit tellure, stellae vero fixae vel millies maiores, cui non verisimilis fiat, tellurem rotari circa suum axem motu naturali, quam tanta corpora incredibili perniciete de loco in locum moueri? Purant nimirum, fieri non posse, vt Sol, tam ingens corpus terram ambiat, multo minus si rationem habeamus fixarum, quarum intuitu ratio grani milii ad montem maior sit, quam terrae ad vastissimam mundi Machinam. Esse itaque absurdum statuere, quod corpus maius circa minus moueat. Quod vero mihi non absurdum esse videtur. Quotidie enim rotae, vt corpora maiora, circa axes suos volvuntur, tanquam circa minora. Nec Geometria ab his abhorret, quid enim est circulus? nonne linea curua (en igitur maius,) circa punctum immotum (hic habes minus,) aequali distantia ducta? Sed obiecties fortasse, haec quidem vera esse, obstare tamen immancabilem magnitudinem, quo minus concedi possit, fixas moueri circa terram. At enim finge, quaequo, circulum eiusdem magnitudinis cum sphaera stellae fixae longissime distantis, nonne et is circa vicum punctum, centrum videbile, describeretur? Deus igitur, ex mente Tychonicorum ducendo stellas circa tellurem centrum suum, magnum egit Geometram, qui maximum circumferentiam descriptis, et omnipotentiae suae maximum documentum edidit.

§. VII.

CELERITAS MOTVS.

Magnitudini terrae et planetarum comparatiuae proxime affinis est celeritas motus, quae, partim a magnitudine corporum coelestium, partim a eorum distantia a terra, oritur. Sol nobis sit exemplo, qui ex calculis Tychonis in distantia media MCL semidiamaetros terrae abest a tellure. Semidiamaeter vero terrae constituitur $859\frac{1}{4}$, vel ut vitimus fractionem, 860 milliar: Germanic: Vnde distantiam solis medium 98 9000 milliar, Germ. esse

esse patet, quam distantiam duplam sumentes, habebimus 1978000 milliar. Germ. ut Diametrum circuli, qui vna die soli est percurrēndus; cuius circumferentia, iuxta rationem Archimedeam, est $6216571\frac{3}{7}$ milliar. Spatiū nempe vnius diei, quod in 24 horas si diuidamus, fere 259024 milliar. erunt loco Quoti, atque hinc cursum solis vno minuto secundo 72 milliar. esse deprehendimus; quae qidem celeritas omnem motū, quem in terra reperimus, (sive sit soni, qui intra minutum secundum mille pēdes, sive sit globi e tormento maiore emissi, qui intra idem temporis spatiū 600 pēdes percurrit,) longe antecellit. Hoc vero multo maior prodibit numerus, si maiores solis distantias supputare velimus, ut Heuelii, qui 5157; Wendelini, qui 13470; Cassini, qui 22000; vel denique Hirei, qui 34377 semidiāmetros terrestres solem in distantia media a terra abesse tradit. Et quis tandem erit numerus, quem, supputando motū fixarum, inueniemus? Fixae enim iuxta obseruationes Flamstedii 30510275040 milliar. a tellure distant, hinc cursus illarum, quae sunt circa Aequatorem, est 2217644 milliar: quem vno minuto secundo peragunt, hunc tamen ingentem numerum alii vsque ad 1260 milliar: reducunt. Sed quisquis ille sit cursus, si quoque vel minimam distantiam supponamus, semper tamen cum maxima perniciitate erit coniunctus. Hinc etiam hanc motus celeritatem Copernicani, qui adhuc mitius loquuntur, *incredibilem et omnem rationem superantem* vocare solent, ut fecit *Varenius in Geogr. Gen. Libr. I. c. V. p. 47.* MEGERLINVS vero, strenuus Copernici defensor, hanc motus velocitatem elo-*gio insanue rapiditatis* maestat. vid. eius *Systema Copernic.* p. 52. edit. Amstel. Atque haec rapiditas motus fixarum Copernicanis adeo incomprehensibilis est visa, ut IOH. CPH. STVRMIUS, insignis, dum viueret, Mathematicus, in *Physic. Electiv. T. II. sc̄t. II. Art. III. p. 550,* et *ibidem p. 555.* nec non in *Mathesi Iuu. T. II. p. 240* putauerit, Deo opus esse continuatis infinitis in singulos dies miraculis, ad obtinendum innumerabilium fixarum, quarum nulla forte aqualem cum alia circulum decurrentum habet, velocissimum et simultaneum ad sua principia redditum. Omnia igitur, quae contra celeritatem motus proférunt Copernicani, ad hoc redeunt: incomprehensibilem esse hunc motum rapidissimum, quoniam in terra nullus, huic similis aut aequalis, reperiatur. At enim vero, subductis calculis, eum ipsi Copernicani dimetiuntur, atque exinde nos confellere student, qui ergo incomprehensibilis esse possit, cum meriri eum valeant? Quando autem dicunt, nullum, huic aqualem vel saltē similem in terra nostra deprehendi motū: vera dicunt; celerrimi enim motus, quantum quidem nos scimus, sunt motus soni in aere et globi e tormento explosi, ille, iuxta experimenta, mille,

hic vero 600 pedes vno minuto secundo absoluit; quod vero non vrgerent, si cogitarent, non omnia in terra nostra inueniri. Terram vno minuto secundo 250 passus, hoc est 1250 pedes currere, ipsi tradunt Copernicani, en igitur motum, iam laudatis velociorem. Solem intra 27 dies moueri circa axem ex obseruationibus **S C H E I N E R I** in Rosa Vrsina Lib. IV. P. II. c. X. p. 601. constat, solis autem soliditas iuxta Wendelinum terrae soliditatem 262144; Peripheria vero 200 vicibus superat. Sic Iupiter, 14 vic: terra maior intra 9 hor: 56 min: circa axem rotatur. Videmus ergo ex his, motus existere omnem motum terrestrem superantes, et corpora coelestia multoties celeritate motus anteire terrestribus. Praeter ea quoque, aetheren, in quo corpora coelestia mouentur, aere nostro, (qui motus rapiditati resistit,) millies tenuorem esse, Copernicani statuunt, vnde quoque motus stellarum, motu in his terris millies et adhuc pluribus vicibus existere potest velocior. Hinc simul cadit, plane incomprehensibilem atque insanam esse istam rapiditatem. Cum vero magnus ille Mathematicus **S T U R M I U S**, quotidie opus esse miraculis, arbitretur, ipsi neutiquam concedimus. Quid enim sunt miracula? nonne talia, quae praeter naturae ordinem eueniunt? iam vero motus stellarum non sit praeter naturam, sed secundum ordinem ab omnipotente Conditore constitutum, quem quidem miratione nostra dignum esse, facile dabimus, et enim opus summae Creatoris potentiae et sapientiae, nec tamen ideo statim miraculis indiget, singulis diebus reiterandis, quoniam corpora coelestia, secundum iam dicta, partim iuxta ordinem constitutum, partim multo celerius moueri possunt, atque actu mouentur, corporibus terrestribus.

§. VIII.

FACILITAS SYSTEMATIS COPERNICANI.

Inter argumenta, quibus ad firmandam sententiam suam vtruntur Copernicani, referunt quoque Systematis sui facilitatem, dum per soilius terrae gyrationem omnia phaenomena demonstrari posse contendant. Quod si etiam ipsis concederemus, de qua re tamen infra §. XI. acturi sumus, nihil ad ipsos redundar exinde commodi. Nam **S A M VEL REYHERVS** in *Dissert. de mundo, seu cosmographica descriptione systematum c. IX. p. 76.* concedit, posse quemlibet planetam ponit immobilem, et circa eum reliquos duci, apparentiasque omnes saluari. Sed cum a Posse

ad

ad Esse nulla sit consequentia, nec quæstio sit, vtrum per systema Co-
pernicani res facilius demonstrari queant: nos quoque non ex rerum
facilitate sed veritatem iudicandum esse, censemus. Quam nostram senten-
tiam, vt destruant Copernicei, obiciunt nobis, stante hypothesi de terra
quiescente, labefactari Sapientiam Dei. Sapientiae enim conuenire, vt bre-
uissima eligat media ad obtinendum finem pertinentia, ne res praeter ne-
cessitatem augeantur. Quod dubium, si esset fundatum, vel ex hoc solo rei-
ciendum esset systema Tychonicum. Sed tamen cum Deus in condendo
hoc vniuerso non modo sapientiam suam summam, verum etiam omnipot-
tentiam manifestare voluerit: omnino talia producere eum oportuit, quæ
hominum vires transcederent. Sapientiae autem Sapientissimi Condi-
toris, quam sapientia humana comprehendere non potest, systemate terrae
quiescentis non aspergi maculam, ex eo patet, quoniam ipse terrae quietem
adstruxit, vid. infra §. XIII, deinde re vera in producendo motu siderum
breuissima elegit media, dummodo id attendamus, quod Dei sapientiam
pariter ac potentiam humanis viribus emetiri nemo possit. Si enim Deus
terram moueri voluisse, qualia tunc media adhibuisset? Nonne eadem,
quaes adhibuit, ad procreandum motum solis ac fixarum? Virobique
enim effaciter velle Deum oportuisset, vel uti sarae loquuntur literæ:
הָוּ אַמְנָ וְהִי הָוּ אַמְנָ וְנַעֲמָרָ: Hinc vtroque casu, siue
terra quiescat, siue moueat, prorsus aequalia fuerant adhibenda me-
dia; adeo vt systemate terrae immorae, sapientia Dei plus augeatur,
quam minuatur, si enim siderum tanta multitudo mouetur, quorum ta-
men forte nullum cum altero aequalem circulum describit, summa cer-
te sapientia cum omnipotentia coniuncta ad horum coordinationem re-
quirebarur. Cum vero excipiat MEGERLINVS in System. Copern. p. 52,
et cum ipso Copernicei reliqui, naturam non multiplicare res absque
necessitate, quoniam solius telluris motu assenti possemus omnia, quae
vastissimo motu siderum obtinerentur: ipsis tantum respondemus in pro-
ducendo stellarum motu, non naturam, sed Deum egisse; Deinde quo-
que ipsis finem opponimus, qui per motum intenditur, lucem nimirum
et calorem, distinctionem temporum, aliaque, quibus licet omnibus pro-
be perspectis, cuncta tamen nondum exhaustimus, nec nobis pudori est
in physicis fateri: multa quidem sciimus, sed quantum adhuc est, quod
ignoramus; ac tandem tanto apparatu opus erat, quia summus auctor
omnipotentiam inde demonstrare voluit suam.



§. VIII.
EFFECTVS MOTVS COPERNIC.

Ad effectus motus terrae referunt Copernicani fluxum et refluxum marinum, ventum generalem continuum circa aequinoctialem Lineam ab ortu in occasum perpetuo spirantem, nec non maris motum ab oriente in occidentem continuum, qui maxime sentitur in zona torrida, de quibus eundem, aiunt, nullam dari posse caussam, nisi telluris motum, qui, ex mente Coperniceorum haec omnia efficiat, vid. *GALILAEVS in System. M. Dialog. II. et IV. VARENIVS Geogr. General. L. I. cap. XXI. prop. L. p. 388. MEGERLINVS System. Copern. p. 55.* Verum enim vero, quanquam nos ipsis hac in re lubentes cedere vellemus, veremur tamen, ne sibi ipsis contradicant. Infra enim §. XII. Tychonicis, distinctionem et destructionem aedificiorum, proper motum telluris, vrgentibus motum naturalem, sibi ipsis semper aequalem, nunquam vero violentum, planeque insensibilem opposuisse, intelligitur. Si igitur motus terrae cum integra eius Atmosphaera est aequalis, naturalis, insensibilis, non violentus, quomodo pressio aeris, et, quod adhuc plus esse videtur, reperecessio ipsius maris ex illo oriri potest? Aut enim motus iste est sensibilis et violentus, quod tamen Copernicei serio negant, aut aliae, tam aestus marini, quam venti generalis, supponantur caussae, necesse est, quas etiam alias esse statuimus, de quibus vid. *STVRMIVS in Physica Electi. T. II. Sect. I. Art. IV. cap. IV. p. 235—277.*

§. X.

FINIS MOTVS TELLVRIS.

Terram a sole accipere lucem atque calorem, quotidiana docet experientia; (istas enim hypotheses Physicas attingere nolo. utrum sol calorem ex terra eliciat, an vero terrae communicet.) Hinc putant Copernicani, magis rationi esse consentaneum, ut terra, quo his fruatur beneficiis, solem ambiat, quam ut sol circumvolvatur circa terram. Utuntur praeterea variis similibus, affirmantes, magis congruum esse, carnem assandam veru affixam verti circa ignem, quam ignem, focum et culinam circumgestari circa carnes assandas. Sic, porro, si sol et sidera terram circumagerentur, quo homines istorum luce, calore, conspectuque frui possint, idem esse contendunt, ac si quis, spectatoris oculo immoto, montes, urbes, pagos, sylvas, etc. ut totum territorii ambitum tanto commodius illustrare possit, in orbem circumducere veller. Vid. laudatus *STVRMIVS l.c. p. 551.* Quae tamen similia, magis videntur esse dissimilia, neque hoc loco

loco id illustrare, quod tamen illustrare debebant. Caro assanda veru affixa stat in foco mobilis, ignis iacet in foco, qui in culina stat immotus. Nostra vero terra non stat in sole. Si vero allatum simile de carne assan- da hoc quicquam ficeret, exinde sequeretur, terram nostram pari modo stare in sole, ac veru in foco aut culina, quod tamen nemo vñquam asse- ruit. Idem iudicium est ferendum de altero simili supra memorato. Nam et ibi spectator stat in territorio, quod lustrare cupit, terra vero nostra, vt iam monuimus, nunquam in sole stetit. Hinc nihil euincunt Copernica- ni, siquidem finis iste, etiam terra quiescente, obtineri potest.

§. XI.

CONVENTIENTIA SYSTEMATIS COPERN. CVM PHAENOMENIS.

Conuentientiam systematis sui cum Phaenomenis, in primariis habent argumentis Copernicani, quibus ad illud stabiliendum vtuntur. Per omnia enim stellarum, tam fixarum, quam erraticarum, Phaenomena huic systemati respondere propugnant, indeque colligunt, istud esse vnicum verum mundi systema. Quam vero consequentiam esse nullam, sequentia testan- tur. Primo enim negamus Phaenomena coelestia huic systemati per omnia respondere; id quod probant tabulae motuum coelestium systemati Copernicano superstructae, quarum si praecipuas, tam inter se inuicem, quam cum stellarum motu conserimus, deprehendemus eas a se inuicem maxime discrepare, et a coelesti motu vel semihoram, imo non nunquam per integras horas aut dies aberrare. Ipse Copernicus in libris revolutionum coelestium tales subministrat tabulas, e quibus Reinholdus Prutenicas confecit tabulas, quas adeo perfectas esse censuit, vt, praeter medium motum, nihil ad finem usque mundi in iis emendandum esse statuerit, quas tamen Tycho, cum adhuc esset Astronomiae tyro, maxime falsas esse reperit. Imael Bullialdus edidit tabulas Philolaicas ex calculis systematis Copernici, quae tamen a coeli Phaenomenis non parum discrepant, ita vt RICCIOLVS in Praef. Almag. referat, ipsum auctorem doluisse, quod tabulas suas in lucem emiserit. Philippus Lansbergius tabulas perpetuas composuit, quarum falsitatem Horoccius in obseruando transitu Veneris per Solem satis apertam esse docuit, et b. WEIDLERVS in histor. Astron. c XV. p. 463. refert, quod Ioh. Phocylides Holwarda eas sub examen vocauerit, atque eas maxime falsas et erroneas esse euicerit. His igitur sic se habentibus, ubi est perpetuus consensus cum Phaenomenis coelestibus? Nos quidem

non diffitemur, obseruationes iuxta sistema Tychonicum institutas, suis
 quoque laborare naeuis; attamen si comparemus cum Copernicanorum
 operibus, naeuos illarum et numero pauciores, et a calculo minus aber-
 rantes, semper deprehendemus. Hinc quoque Bulialdus, Sethum Wardum
 ex Tychonicis obseruationibus confutare non dubitauit. Et quid multis?
 Nonne praestantissimae Kepleri Tabulae Rudolphinae, ex Tychonis obser-
 uationibus, quas ille systemati suo superstruxerat, enatae sunt? quomodo
 ergo Tychonis sistema tam absurdum esse potest, vt vulgo venditur, cum
 ipsi Copernicani eo vrantur? Quamuis non ignoremus Tychonem etiam
 interdum vsum fuisse calculis Coperniceis, vt refert KEPLERVS in Tabb.
Rudolph. fol. 57. Deinde ponamus, (quamuis iam contrarium euicerimus,)
 coeli Phaenomena systemati Copernicano per omnia, qua calculum, respon-
 dere, nondum tamen ex hac causa est verum mundi sistema. De calculis
 enim mihi certo constare potest, quanquam falsissimae supponantur hypo-
 theses, quod nos ipsa Arithmetica in Regula Falsi edocet. Ibi enim eli-
 guntur numeri oppido falsi, quorum tamen falsitas nequaquam impedit,
 quo minus, ope eorum, prodeat numerus verus, antea incognitus, certis
 conditionibus circumscriptus ac definitus. Sic quoque hypothesis de ter-
 ra mobili potest esse falsa, et tamen Phaenomena ex illa saluari, atque verae
 supputationes stellarum inde repeti possunt. Laudant praeter ea etiam
 alia Phaenomena, et eorum conuenientiam cum systemate suo Copernicani.
 Quibus tamen propter angustiam paginarum vacare non possumus. Sic
 recentissime Cel. Astronomiae Professor Hafniensis, Petrus Horrebowius,
 ex obseruationibus Roemer de parallaxi orbis annui triumphauit, vid. eius
Copernicus Triumphus. Sed absque causa triumphum egit; nam ea, quae
 Horrebowius terrae mobilitat adscripsit, etiam ex quiete terrae deduci
 possunt, cuius tamen demonstrationem, ob defectum partim chartae, partim
 laminarum aenearum, hoc loco annebare non possumus, quod sumus aetuli
 alio tempore. Placet igitur nobis de his et similibus Phaenomenis effatum
 Claudii Perraltii, qui in praefatione *commentationis* sua *Physicae*, quam
 inscribit *Essais de Physique*, ita loquitur: *Car la verité est, que l'amas de tous les Phenomenes, qui peuvent conduire à quelque connoissance de ce que la nature à voulu cacher, n'est à proprement parler, qu'un Enigme, à qui l'on peut donner plusieurs explications.* Excipi quidem posset, hac ratione Mathesin non esse scientiam,
 quippe quae non hypothesis, sed demonstrationibus inniti debet. Quod
 vero minime largiri possumus. In Mathesi enim pura pleraque iniustis ni-
 runtur demonstrationibus, certo enim scimus $4 \times 3 = 7$, item $3 \cdot 4 = 12$,
 nec non: totum maius esse sua parte, et sic porro. At multo aliter se res
 habet

habet in Mathesi applicata, vbi saepissime hypotheses inhaerere cogimur, quando vel causae physicae nondum satis perspectae subsunt, vt in Astronomia, vel hominum arbitrium libere agit, vt in arte muniendi, quod tot diversa muniendi genera satis testantur.

§. XII.


AD DVBIUM TYCHONICORVM RE-
SPONSIO COPERN.

Tychonici ad confutandum terrae cursum obiiciunt Copernicanis, necesse esse, lapides, terrae non affixos, e loco suo deici, immo aedificia corruere, si foret hoc verum, terram moueri. Etenim cum terra, tam celeri motu circa axem et solem raperetur, non posse non fieri, quin sentiamus hunc motum, indeque concussio terrae oriatur, ita vt vel firmissima aedificia, prae-sertim vero altissimae turres huic motui resistere non valeant, sed certo dis-sipentur. Quod dubium vt remoueant Copernicani, respondere solent, haec omnino sequi, si terra motu, siue sit vertiginis, siue reuolutionis, siue inclinationis, siue librationis, siue quicunque aliis sit, inaequaliter moueretur, quod vero negant. Vnde quoque motum terrae semper et ubique aequalem esse dicunt, ita vt terra et omnia quae ad eam pertineant; hoc est cum integra Atmosphaera modo nobis plane insensibili circumducatur, adeo vt ne illa quidem aeris fiat mutatio aut pressio, quae aedificia destruere possit. Hunc motum COPERNICVS lib. I. c. VIII. de Reuolutionibus orbium co-
lestium, appellavit naturalem, non violentum. Sed quam parum sibi constent Copernicani supra §. IX. notauimus.

§. XIII.

SCRIPTVRA S. AD ERRORES VVLGI SESE
ACCOMMODASSE DICITVR.

Restat adhuc unicum argumentum, quo Copernicani systema suum defendere volunt, idque a consensu cum S. Sa. est reperiut, seu portius exinde, quod Scriptura S. ipsis non aduersetur. Tychoniei nempe iis obiiciunt, Scripturam S., quae ipsa sit veritas, huic systemati aduersari, quae nimirum, omnibus in locis, qui huc spectant, soli cursum, telluri e contrario quietem tribuat; Spiritui vero S. in Bibliis loquenti contradicere, semper nefas esse. Quomodo hunc Copernicani soluent nodum? Optime, vt ipsi putant, facilissimo negotio. Initio enim affirmant, S. Sam in his locis ex apparentiis, siue quod idem est, ex erroribus vulgi, non vero ex veritate, loqui. Deinde negant S. Sam in rebus Astronomicis posse esse



esse iudicem, vide STVRMII Phys. Elec^t. T. II. p. 552. seqq. MEGERLINI System. Copern. p. 72. seqq. ZIMMERMANNI Script. S. Copernizant. cum quibus faciunt, qua hoc momentum, fere omnes reliqui Copernicani. Sed vid. quae contra hanc opinionem scripserunt IOH SAM. HOLLMAN- NVS duabus Dissertt. de obligatione Astronomi Christiani erga S. Sam. CLAV- SINGIVS Diss. de Scriptura S. non Copernizante. RAMBACHIVS in Diss. de Scri- ptura S. ad erroneous vulgi conceptus accommodata, aliique plures, qui docent, Scri- pturam S., quae ipsa veritas est in his locis secundum erroneas vulgi opinio- nes locutam non esse, imo ne loqui quidem posse, sed semper ex rei veritate, adeoque non metaphorice, sed literaliter esse interpretandam; quod nec ipse diffitetur STVRMIVS ceteroquin fortissimus Copernicei systematis pro- pugnator, l. c. p. 552. Tametsi enim, inquit, nonnulla ab Anticopernicanis adduci solita e Scripturis loca, commodam admittant interpretationem, quo minus adver- sari Copernici assertis dicenda sint; occurunt tamen aliqua, quae, si cordate et in- genue, quod res est, dicere velimus, secundum literalem et obuium verborum sen- sum aliorum se DETORQVERI non patientur, quin terrae stabilitatem, coc- lo vero et stellis, praecipue vero soli, motum ACTVALEM attribuant; tantum abeat, ut, quod nonnulli facere sunt ausi, ipsas sacras literas tanquam a partibus Copernicorum stantes, allegare praesumant. De loco I Paralip. XVI. (qui est in versione b. LVTHERI c. XVII. 30, vbi Dauides inter praeconia summi Numinis refert, quod terram condiderit immobilem; vir autem *theo- pieus*, qui, Spiritu S. agitatus, Dei meditatur praeconia ipsi non falsas et apparentes laudes tribuit, sed veras, quod tamen fecisset, si terra tantum ap- parenter esset immobilis,) ingenue fatetur, literam non posse saluari, appli- cata hypothesi Copernicana, imo addit: *Qui possint haec verba explicari, ut motus terrae Copernicanus una stare queat, non video.* Ita quoque de Pf XIX. 6. 7. scribit: *Videant Copernicani, num possint huic loco interpretationem inue- nire, quae literae vim non inferat, soli interim asserta in centro mundi quiete.* Quod, tam insignis Mathematici, tamque strenui Copernicanae hypotheseos defensoris, testimonium satis nos edocere potest, omnia, quae contra assertio- nes Scripturae S. proferuntur, lubricis stare fundamentis.

Atque haec praecipua sunt argumenta, quibus solis et fixarum quies, contra ve- ro telluris motus stabiliri solet. Quibus tamen omnibus probe consideratis, sistema terrenae quiescentis adhuc stat immotum. Vidimus enim, cunctis his argumentis nul- lam inesse vim, nullam urgente necessitatem, quae nos compellere posset, ut a ve- ritate Scripturae S. et experientia resiliamus, et in eastra Copernicorum nos reci- piamus. Nihil enim amplius euineunt, quam hoc, posse terram moueri, in et tamen Phaenomena saluari,

S. D. G.

(X.231.06.82)



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



QVAESTIO MATHEMATICA
DE
TERRA
MOBILI AN IMMOBILI

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
IN ALMA WITTEBERGENSI
DIE MAII A. R. S. CIC 10 CC LXIII
SVBIICET
PRAESES

M. CHRISTIANVS GOTTLIEB
GILLINGIVS

ZITTAVIA LVSATVS

RESPONDENTE
BENEDICTO CHRISTIANO BVRDACHIO

KOHLAVIA LVSAT. INFER. PROPE GVBNAM

WITTEBERGAE
TYPIS TZSCHIDRICHIANIS